

tur; ille autem videtur esse actus jurisdictionis. Respondeo: non ipse committit, sed Pontifex, vel superior Prælati virtute privilegiorum, ut supra, in fine n. 8, dictum est. Sed instabit aliquis, fingendo casum, in quo non sit copia alterius sacerdotis secularis, vel alterius religionis qui eligi possit. Respondeo, in eo casu ita se habere quemlibet illorum ac si esset solus, et non haberet copiam confessoris, extra casum articuli mortis, quia excommunicatus vitandus extra hunc articulum non habet usum jurisdictionis; in illo autem articulo possunt se invicem absolvere a peccatis, et ratione illorum etiam a censuris, ut in 4 tomo generaliter dictum est.

CAPUT XXIV.

AD QUAS PERSONAS ABSOLVENDAS EXTENDANTUR
HÆC PRIVILEGIA.

1. *Prima assertio pro professis et similibus.* — Hoc est tertium punctum superius in fine capitis 20 propositum. In quo imprimis certum est, talia privilegia posse habere effectum circa omnes professos talis religionis, quia pro illis maxime conceduntur hæc privilegia. Quia vero privilegia hæc concedi solent sub his verbis, ut Prælati possint absolvere subditos suos, oriebatur dubium de ipsis Prælati. Sed hoc jam expeditum est in fine capitis proxime præcedentis; nam illi etiam sunt subditi vel superioribus Prælati, vel saltem ipsi religioni. Oriebatur deinde dubium speciale de scholaribus, et Coadjutoribus Societatis, qui non sunt professi. Sed nullam habet rationem dubitandi, tum quia sunt veri religiosi et regulares, sub quibus vocibus solent hæc privilegia concedi; tum etiam quia eorum incorporatio et vota sub nomine professionis comprehenduntur, præsertim in favorabilibus, ut infra, tractatu 10, lib. 3, cap. 5, ostendam; tum denique quia Pius V et alii Pontifices expresse illis communicant hæc privilegia.

2. *Secunda assertio pro peregrinis.* — Secundo dicendum est, hanc facultatem extendi non tantum ad proprios religiosos subditos, sed etiam ad hospites, seu peregrinos qui jure hospitii possunt ab eis sacramentaliter absolvi¹. Probatur primo ex ipsis privilegiis; sæpe enim expresse nominant hospites, nam

¹ In lib. Monum. Ordinum, concess. 318 et 340, sic.

Clemens IV in privilegio citato inquit: *Nec non fratribus aliis ejusdem ordinis interdum ad eos declinantibus undecumque.* Alia vero privilegia indefinite loquuntur de suis monachis, aut religiosis, unde convenienter intelliguntur de illis, qui ab unoquoque Prælati sacramentaliter absolvi possunt, quia hæc privilegia, ut dicemus, ad forum conscientie præcipue ordinantur. Et licet aliqua privilegia loquantur de subditis, recte etiam exponuntur de subditis in foro conscientie secundum præsentem statum. Secundo probatur ex quadam declaratione Cardinalium, ad cap. *Liceat*, sess. 23 Concilii Tridentini, quæ habet, forenses, dum versantur in aliquo Episcopatu, posse absolvi a casibus occultis ab Episcopo loci per facultatem ibi concessam; ergo similiter religiosus hospes absolvi poterit per facultates religionis a Prælati illius loci, in quo tanquam hospites degit; ibi enim se habet tanquam forensis, et militat in eo eadem ratio.

3. *Peregrinis absolutio, non dispensatio danda.* — Est autem notanda differentia quæ ibi assignatur inter dispensationem et absolutionem; nam de dispensatione dicitur non posse dari homini forensi ab Episcopo loci per illam facultatem Concilii, sed petendam esse a proprio Episcopo; absolutio autem dicitur posse dari ab Episcopo loci. Et ratio insinuat, quia absolutio solum conceditur in ordine ad forum sacramentale, et ideo sicut sacramentum Pœnitentiæ ministrandum est in præsentia pœnitentis, ita et hæc absolutio, per se loquendo, danda est ab Episcopo præsentem, ideoque Episcopo loci commissa censetur; dispensatio autem postulari potest ab Episcopo absente, et ideo semper reservatur proprio Prælati et Episcopo. Juxta quam doctrinam in proposito etiam observandum erit, quia in multis eorum et dispensandi et absolvi facultas committitur, absolutionem semper extendi ad hospites, non vero dispensationem, nisi in ipso privilegio Clementis IV, nam immediate post citata verba subdit: *Absolutionem vel dispensationem indigentibus.* Secunda autem expressa concessione, est illa doctrina valde probabilis, tum propter auctoritatem Congregationis, ejusque rationem; tum etiam quia absolutio a censura conceditur hospitibus, quia est necessaria ad absolutionem a culpa, quæ differenda non est, ne propter dilationem pœnitentiæ, periculum imminuat animarum, ut dicitur in cap. ult., de Pœnit. et remiss.; dispensatio autem non est necessaria ad ministerium pœnitentiæ, nec

ad salutem animæ, unde differri potest, et reditus ad Prælatum expectari, vel ab absente postulari.

4. *Locus ex declaratione Cardinalium diffinitis.* — Unum vero aliud insinuat in illa doctrina, quod, si verum est, satis singulare est, scilicet, per facultatem absolviendi a censuris, concessam tantum in foro pœnitentiæ (qualis est illa Concilii Tridentini), non posse absolutionem etiam a censura dari absentem, quia debet dari in Sacramento Pœnitentiæ, unde ibi expresse exponitur, Concilium loqui de absolutione sacramentali. Sed hoc receptum non est, quia videtur nimia restrictio privilegii et facultatis, sine cogente ratione. Unde multi putant posse Episcopum ex vi Concilii per seipsum absolvi a censura hæresis occulte monialem, vel aliam impeditam personam absentem, quia nec facultatem potest delegare, ut Concilium indicat, quamvis Corduba in Summ. Hispan., questione 8, et alii aliter exponant; nec cogendus est Episcopus ad pœnitentem impeditum accedere, ut illum absolvat, nam data absolutione a censura, tollitur reservatio culpæ, et ita poterit a quocumque legitimo confessore absolvi. Sed quid in hoc sentiendum sit pro re de qua agimus, inferius explicabimus; vide interim Navarum, consil. 15, de Sentent. excommunicat., juxta primam impressionem; Emmanuel. Rodriguez, tom. 1, quæst. 20, articulo 11, in fine; Gutierrez, in Practicis questionibus, capite decimo tertio, numero vigesimo octavo.

5. *Tertia assertio pro novitiis.* — Hoc privilegio gaudent etiam ante susceptionem habitus volentes ingredi serio. — Dico tertio: hæc potestas absolviendi extenditur etiam ad novitios, qui virtute dictorum privilegiorum possunt absolvi: ita habetur expresse in multis privilegiis citatis, in quibus etiam explicatur, ut possint absolvi ab omnibus peccatis ante vel post ingressum commissis, et ab omnibus ecclesiasticis et secularibus sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine latis, ut refertur ex privilegio Sixti IV, in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*, §6, ex Monumentis Minorum, et idem habetur in citato privilegio Clementis IV, et in aliis. Est autem advertendum, in eis non tantum concedi hanc facultatem pro novitiis, qui jam habitum susceperunt, sed etiam pro his qui ingredi volunt; quod etiam Paulus III concessit Societati in Bulla ultima, qui addit limitationem, quæ eisdem verbis in antiquis privilegiis con-

tinetur, scilicet: *Volentes ingredi Societatem, seu religionem, nisi mox ingrediantur, eo ipso in pristinas sententias, a quibus absoluti fuerint, reincidant, etiamsi super hoc induciæ eis a peccatis religionis concedantur.* Aliqui vero exponunt ut qui vult ingredi per professionem, possit ante illam absolvi, non vero ante ingressum per susceptionem habitus ad novitium. Indicat Vivaldus, 1 part. Summæ, tit. de Absolutione, num. 22. Sed prior expositio verior est, nam in privilegio prius dicitur, *volentes ingredi, etc.*, et postea, *ac eos qui post assumptum habitum, vel professionem emissam, recoluerint, etc.* Ita sentit D. Antoninus, referens idem privilegium, 3 part., tit. 24, in ultimis verbis. Et in Bulla Societatis evidenter constat sermonem esse de his, qui volunt ingredi, priusquam recipiantur. Unde hæc absolutio videtur concessa quasi præparatio ad ipsum ingressum, seu receptionem habitus. Ex prædicta vero limitatione constat, si quis postulet ingredi sine animo ingrediendi, solum ut absolvatur, absolutionem esse nullam; imo, nisi habeat animum ingrediendi et profitendi, saltem bona fide ingrediendo ad probandum cum animo profitendi, si justa causa ad illum mutandum non occurrerit. Unde in illo privilegio Societatis expresse dicit Paulus III: *Reincidunt in pristinas sententias, nisi mox ingredi, et peccatis experientis secundum Constitutiones Societatis vota emittere parati sint*; ergo qui non habet hunc animum et bonam fidem, non consequitur absolutionem. Et idem est proportionaliter in aliis religionibus, nam eadem fere verba in privilegiis Mendicantium habentur.

6. *Quid de non perseverante?* — *Ingreddiens de facto, sed absque sua culpa non perseverans, non reincidit.* — *Secus de eo, qui ante vel post ingressum sua voluntate retrocedit.* — Sed quid, si quis sic absolutus bona fide suscipiat habitum religionis cum animo profitendi, postea non profiteatur absque culpa sua, quia vel a religione ejicitur, vel ex justa causa egreditur? Numquid reincidet in priores censuras? Communiter auctores affirmative respondent¹, et non afferunt aliud privilegium, nisi vel Clementis IV et Pauli III. Sed ex illis obscure colligitur, nam Clemens solum ait: *Nisi mox ordinem intraverint*; et Paulus fere similia habet verba. Quæ intelligenda videntur de primo ingressu ad novi-

¹ Emman. Rodr., tom. 1, q. 3, art. 4, et q. 20, art. 21; Vivald. supra, n. 23 et 24.

tatum, nam de illo erat sermo supra, ubi dicitur: *Volentes ingredi ordinem*; ergo qui semel ingressus est bona fide et animo profectendi, secundum jus, jam implevit conditionem requisitam; ergo, licet postea egrediat, præsertim licite, non reincident; nulla est enim ratio extendendi illud verbum: *Nisi intraverint*, ad introitum per professionem, quia talis expositio nec consonat superioribus verbis, nec rigor ipsius verbi ad illam cogit, cum de se sit indifferens; nec privilegium coarctandum est, sed extendendum. Præsertim cum sit valde consentaneum rationi, ut qui absolutus fuit in ordine ad insignem actum ingrediendi religionem, et illum bona fide explevit, non privetur postea illo beneficio, et quod facultate sibi a jure concessa legitime utatur, dimittendo religionem. Et confirmatur, nam ille esset quidam modus cogendi novitium ad profitendum, saltem timore reincidenti in censuras, quam coactionem jura valde abhorrent, præsertim Concilium Tridentinum, sess. 25, de Regularib., c. 15 et sequentibus. Quapropter probabile reputo, hanc absolutionem datam novitio, qui bona fide in religione versatur cum animo profectendi, non esse ad reincidentiam, sed omnino absolutam ac permanentem; datam vero ei qui vult ingredi antequam novitius sit, esse ad reincidentiam, si cum effectu non ingrediatur, aut ingressus nimium differatur: si autem cum effectu ingrediatur, omnino firmetur absolutio, ita ut licet casu postea non profiteatur, non reincident. Hæc omnia videntur satis probari conjecturis adductis, et maxime patebunt, si attente legatur Pauli III Indultum. Prius enim concedit facultatem absolventi omnes et singulos Societatis socios, et personas sub eorum obedientia, disciplina, et correctione pro tempore degentes. Sub quibus verbis clarum est novitios comprehendendi, et de horum absolutione nulla conditio ponitur: postea vero solum ponitur conditio circa eos qui ingredi volunt, et eo titulo absolventur, prius nimirum quam ad aliquid recipiantur.

7. *Ex alio tamen privilegio absolvi possunt, absque onere reincidenti, esto non perseverent. — Hoc vero privilegium non extenditur ad absolutionem omnium casuum. — Neque ad dispensationes omnes. —* Quia vero hæc nostra sententia incerta est, alia via poterunt hæ personæ certius liberari a periculo reincidenti, si nimirum non absolvantur titulo hujus privilegii, sed absolute, ut seculares, per facultatem quam ibi concedit idem Paulus III reli-

giosis Societatis, ad absolvendum quoscunque fideles a quibuscunque censuris, etc., extra Bullam Cœnæ, quod privilegium infra, tract. 10, lib. 9, c. 2, declarabimus. Verum est quidem absolutionem sic datam, etiam ante receptionem habitus, esse omnino absolutam, et sine periculo reincidentiæ, quia non datur titulo religionis, sed sicut dari potest cuicumque seculari. Est tamen magna differentia inter has facultates et absolutiones; nam hæc, quæ communis est omnibus secularibus, non extenditur ad casus Cœnæ; alia vero, quæ datur titulo religionis, extenditur ad omnes fere casus Pontificios, juxta ea quæ diximus c. 21, n. 1 et sequentibus; item est alia differentia, quia facultas pro secularibus solum est ad absolutionem, alia vero extenditur ad dispensationem in aliquibus irregularitatibus.

8. *Referuntur alia privilegia ampla pro novitiis absolventis et dispensandis. — Discutitur an proxime allata privilegia extendantur ad casus Cœnæ. —* Præter hæc autem sunt alia privilegia, per quæ possunt novitii absolute et sine ulla conditione absolvi a censuris reservatis, ut est illud Eugenii IV et Cœlestini V, quod refertur in Compendio Cisterciensis, verb. *Absolutio*, § 1, ubi datur facultas Generali reformatore regularis observantiæ absolventi monachos et novitios, et postea extenditur etiam ad dispensationem in irregularitatibus, et nulla conditio ad reincidentium apponitur, possuntque per viam communicationis aliæ religiones ea facultate uti; per illam tamen semel tantum in vita potest dari hæc absolutio. Dubito vero an illa extendatur ad casus Cœnæ Domini, quia non fit illorum propria et specifica mentio, sed verba generalia sunt hæc: *Ab omnibus qualitercumque enormibus peccatis*; et infra: *A quibusvis excommunicationis*, etc. Verum est particulam illam, *qualitercumque enormibus*, multum augere præcedentem distributionem, ab omnibus; ergo, ut aliquid addat, necessarium videtur ut extendat facultatem ad casus Cœnæ. Quæ ponderatio esset efficax apud me, si præcessisset particula, *ab omnibus reservatis*; nunc vero non ita est, sed dicitur, *ab omnibus qualitercumque enormibus*, et ideo dici potest in sola distributione *ab omnibus*, non includi reservata; per aliam vero particulam extendi ad reservata tantum generaliter, et ideo non oportere ut extendantur verba ad casus Cœnæ. Sed contra hoc insto, et expendo particulam *qualitercumque*. Nam ad illam extensionem

generalem de casibus Papæ reservatis sufficeret dicere, *ab omnibus etiam enormibus*; dum ergo additur *qualitercumque enormibus*, major ampliatio significata est; ergo fit ad casus Cœnæ, saltem in generali (ut specialitatem hæresis excludam), quia non est alia ampliatio propter quam illa particula poni potuerit. Et potest confirmari a simili ex glossa in Clement. 1, de Re judic., verbo *Quavis*, quam commendat Panormitanus, 1 p., consil. ult., n. 5, et ad hanc partem confirmandam videtur adduci ab Emmanuele, tom. 1, q. 20, a. 4, ubi, licet non loquatur expresse de casibus Cœnæ, dicit tamen illud privilegium extendi ad casus quomodolibet reservatos Papæ; est ergo hæc extensio satis probabilis. Non tamen videtur illa ponderatio sufficiens, ut vere possimus dicere, in hoc Indulto esse expresse comprehensos casus Cœnæ, et ideo quoad hanc partem videri potest revocatum per Bullam Cœnæ, nisi eam revocationem impediatur speciale Indultum Gregorii Societati concessum, de quo supra, c. 21, num. 8, in fine, dictum est. Verumtamen etiam absque illo existimo non esse revocatam illam facultatem, quia illa est sufficiens expressio, præsertim si alia verba ejusdem Indulti ponderentur.

9. *Ultimum privilegium pro usdem novitiis. —* Ultimo addo, etiam videri concessam sufficientem facultatem absolventi novitios absolute et sine reincidentia per privilegium Benedictinorum, quod sub his fere verbis refertur in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*, § 10: *Possunt Prælati absolvere omnes, qui in Societate (seu in tali religione) proposuerunt perpetuum Deo reddere famulatum, a quibuscumque peccatis*, etc. Expendo enim non dicere *qui promiserunt*, sed *proposuerunt*, et ideo verisimile est extendi ad novitios, qui eo animo in religione versantur, qui licet postea non perseverent, absoluti manebunt, quia ibi nulla limitatio nec conditio adjungitur. Intellico tamen, necessarium esse, ut illi jam sint aliquo modo in religione, saltem per susceptum habitum, nec sufficere illud propositum, si extra religionem habeatur, quia verba Indulti diriguntur ad eos qui in religione jam sunt.

10. *Quarta assertio pro donatis. — Prima observatio pro assertionem. — Secunda observatio. — Tertia observatio. —* Dico quarto, privilegia hæc etiam extendi ad donatos, seu oblatos religioni; ita habetur expresse in privilegio concessio Cisterciensibus ad observandum semel in vita, de quo proxime in numer. 8

locuti sumus, ubi cum monachis et novitiis expresse numerantur donati et commissi; sub quibus vocibus comprehenduntur omnes illi, qui conversi appellantur, licet professi non sint, nec tria vota substantialia emittant, dummodo religioni donati seu dicati sint cum aliqua firmitate et obligatione, sive per obedientiæ votum, sive per aliud genus promissionis et pacti; nam omnes hi dicuntur proprie donati aut oblato, ut in 5 tom. dixi, explicando canonem *Si quis suadente*. Quia vero hæc extensio ad donatos in aliis privilegiis non fit, sed semper est sermo de monachis, fratribus, aut religiosis, ideo assertio hæc non est universaliter intelligenda de omnibus gratiis et facultatibus quas explicuimus; sed solum de illis in quibus talium personarum expressa mentio facta fuerit. Nam hi revera non sunt monachi nec religiosi; et quamvis interdum, late sumpto vocabulo, soleant hæ personæ nomine regularium aut monachorum comprehendendi, præsertim in dispositione favorabili, juxta doctrinam Panormitani et aliorum in rubrica de Regularibus, nihilominus in his privilegiis comprehendendi non debent, nisi exprimantur, tum quia ex communi usu constat hanc esse intentionem Pontificum, et ideo ubi volunt plus concedere, id exprimunt; tum etiam quia, licet privilegia contineant favorem, sunt juxta proprietatem verborum intelligenda, ubi jura ipsa illa non extendunt. Hoc autem intelligimus de illis conversis, qui tria vota substantialia non emittunt, nam de illis, qui hæc profitentur, non est dubium quin sub illis privilegiis comprehendantur, etiamsi monachorum tantum mentionem faciant, quia, licet monachus interdum stricte dicatur, ut distinguitur a converso, tamen in generali significatione satis proprie significat quemcumque religiosum fratrem. Adverto ulterius, si privilegium utatur aliis verbis generalibus quæ in rigore non requirant illa vota, extendi posse ad hujusmodi donatos. Talia videntur esse verba illa supra, num. 9, citata ex privilegio Benedictinorum: *Omnes, qui in tali religione proposuerunt perpetuo Deo reddere famulatum*; nam hi donati vere et proprie dici possunt proposuisse, imo et promississe perpetuo in tali religione Deo reddere famulatum. Idem videtur dicendum de his verbis: *Omnes qui sub obedientia talis religionis vivunt*; nam hoc etiam de his personis in proprietate dicitur, quia vel votum obedientiæ emittunt, vel certe promissionem aut pactum illi perpetuo servandi; quod satis est ut dicantur sub obe-

dientia talis religionis vivere. Semper tamen consulenda sunt alia verba ipsius privilegii, ut ex tenore illius verus sensus colligatur; ad quod etiam multum conferre potest religionis consuetudo.

11. *An laici servientes gaudeant etiam dictis privilegiis.* — Sed quid de aliis laicis servientibus religioni? Respondeo: de his nihil speciale invenio, quod attinet ad religiones viro- rum, præter ea quæ de administratione sacramentorum respectu talium personarum dicam infra, tract. 10, lib. 9, c. 2, tractando de ministerio Societatis erga pœnitentes. De servitricibus autem monialium nonnulla tradit Emmanuel Rodriguez, tom. 1, q. 20, a. 24, quæ in eo videri possunt.

12. Ultimo, circa hanc absolutionem explicandum superest, quomodo danda sit. Et imprimis quæri potest an danda sit solum in foro sacramentali, quod iterum occurrit tract. 10, lib. 9, cap. 2, n. 24. Et ratio dubii est, quia in his privilegiis sæpe dicitur, ut hæc absolutio detur in foro conscientie tantum. Responderi potest, per hæc verba non significari modum dandi absolutionem, sed effectum ejus; quæ duo valde diversa sunt; potest enim absolutio a censura dari per se, et extra sacramentum Pœnitentie, et nihilominus non habere effectum quoad externum forum, sed solum quoad obligationem in conscientia. Et ita exponunt illa verba moderni Doctores, et revera in rigore non videntur aliud postulare. Sed difficultatem mihi ingerit quædam declaratio Cardinalium, quam supra retuli, n. 4. Nam cum Concilium Tridentinum, sess. 24, c. 6, tribuat Episcopis facultatem absolvendi in casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, et addat illa verba: *In foro conscientie imposita pœnitentia salutari*, inde colligunt Cardinales, Concilium loqui de absolutione sacramentali in foro conscientie; ergo pari ratione idem dicendum est de quolibet Indulto per similia verba concesso. Verum est tamen illud non affirmari in responsione directa, quæ in ea declaratione datur ad dubium directe propositum; sed incidenter in quadam ratione, quæ non semper est efficax aut necessaria, etiam in decretis. Nihilominus distinctione uti possumus: nam hæc facultas interdum conceditur solum ad absolvendum a peccatis reservatis in foro conscientie, nulla facta mentione censurarum, et tunc verisimilius est per se concedi potestatem ad absolvendum a culpis, a censuris vero consequenter ratione culparum, et ideo tunc cen-

suras non posse tolli nisi in ipso usu sacramenti, et in ordine ad absolutionem sacramentalem; et in hunc modum loquitur Concilium Tridentinum, illo loco, et in hoc videtur fundata dicta expositio. At vero sæpe conceditur hæc facultas directe ad absolvendum a censuris, vel a peccatis et censuris, et tunc directe conceditur absolutio censurarum, et ideo non limitatur ad sacramentalem absolutionem; quia, quando potestas alicui conceditur directe, censetur juxta modum et naturam suam concedi; et ideo extra sacramentum exerceri potest, cum per se et natura sua illud non requirat. Sed quid si Indultum dicat: *In foro conscientie et pœnitentiali*? Quidam putant per hæc verba fieri majorem restrictionem, ita ut facultas sic data, etiam directe ad censuras tollendas, restringatur ad forum sacramentale. Dico tamen illa verba vel esse æquivalentia, vel solum addi ad magis explicandum finem et modum hujus absolutionis. Quamvis enim censura extra sacramentum absolvi possit in foro conscientie, nihilominus simul esse debet forum illud aliquo modo pœnitentiale, quia absolvi non debet nisi qui pœnitentiam ostendat, et ad satisfaciendum paratus sit, et ideo in hujusmodi Indultis addi solet: *Salutari pœnitentia injuncta, et satisfacta parte*. De quibus particulis quid operentur, et an valor absolutionis ex illarum executione pendeat; item an, satisfacta parte, possit hæc absolutio extendi, et valere etiam quoad forum externum, dicemus infra, tract. ultimo, lib. 9, c. 2, tractando de privilegiis religiosorum Societatis ad absolvendos quoscumque fideles, nam doctrina illa omnibus generalis est. Hæc autem omnia, quæ diximus, præcipue pertinent ad absolutionem a censuris a jure latis, in quibus semper comprehendimus latas generaliter ab homine, ut in quinta assert., c. 20, posuimus, vel quia ex generali consuetudine jam æquiparantur quoad effectus et quoad absolutionem, vel quia in prædictis Indultis exprimuntur, ut constat, et statim etiam dicam.

CAPUT XXV.

AN SUPERIORES RELIGIONUM POSSINT PER SUA PRIVILEGIA ABSOLVERE SUBDITOS ETIAM A CENSURIS SPECIALIBUS AB HOMINE.

1. Dicendum vero superest de excommunicatione ab homine speciali, an per hæc In-

dulta tolli possit. Quidam enim moderni affirmant per hæc privilegia concessum esse absolvere religiosos a censura lata ab homine in particulari contra talem religiosum; ita Emmanuel, dict. quæst. 20, art. 4; non tamen affert expressum de hoc privilegium, sed nonnulla inducit. Primum est, illud Clementis IV supra citatum, cap. præced., in quo facultas hæc extenditur etiam ad casus Bullæ Cœnæ, paucis exceptis, juxta aliam declarationem Sixti IV, supra etiam allegatam, in cap. 21, num. 1. Unde sic colligitur: qui concedit majus, concedit etiam et minus, in regula *Qui licet*, de Regulis juris, in 6; ergo qui concedit facultatem a casibus Cœnæ, quæ major est, concedit etiam quæcumque censuram ab homine quomodocumque latam. Similis collectio fit ex verbis illis Martini V, in privilegio Benedictinis concesso: *Etiam si talia forent, propter quæ esset Sedis Apostolica consulenda, vel quæ Summus Pontifex reservare consuevit*; item ex illis Eugenii IV, in privilegio Cisterciensibus concesso: *Ab omnibus etiam qualitercumque enormibus*. Nam ex his et similibus verbis potest idem argumentum fieri a concessione majoris facultatis ad concessionem minoris. Secundo adducit privilegium Gregorii XIII, concessum Generali ordinis Ministrorum infirmorum, ut possit per se, vel alios, absolvere subditos a quibusvis censuris a jure vel ab homine (*non tamen nominatim*) quomodolibet latis; refert vero Cassarubius, in Addit. ad Compendium Mendicantium, verb. *Solutio quoad fratres*, integram Bullam hujus privilegii. Fit autem vis in exceptione illa, *non tamen nominatim*; nam hæc exceptio firmat regulam in omnibus aliis; ergo extenditur illa facultas etiam ad sententias particulares ab homine, dummodo persona non sit nominatim excommunicata. Tertio addere possumus, quod in illo Indulto Eugenii IV, generaliter et sine restrictione dicitur: *Ab omnibus censuris, et sententiis a jure vel ab homine, in genere, vel in specie, promulgatis, vel promulgandis*.

2. Nihilominus contraria sententia suaderi potest retorquendo hæc eadem argumenta. Primum quidem, quia Clemens IV, in dicto privilegio, expresse dicit, *a jure vel a iudice generaliter promulgatis*; ergo non est verisimile alia ejus generalia verba extendi ad sententias etiam particulares, cum illa expressa limitatio ad illas excludendas posita sit. Unde argumentum illud a majori facultate ad minorem in potestatibus non ordina-

riis, nec subordinatis (de quibus regula juris intelligenda est) parum efficax esse, supra ostendimus. Hujusmodi autem sunt hæc potestates; non proveniunt enim ab intrinseco ex vi proprii muneris, sed per voluntariam Pontificis concessionem, et quasi delegationem, et inter se subordinatæ non sunt; ergo ex concessione majoris non recte alia infertur. Maxime, quia quotidie videmus per Jubilæa, vel alia Indulta Pontificia, concedi casus reservados Papæ, etiam Bullæ Cœnæ, et non concedi censuras ab homine particulariter latis, quia, licet in his non sit major gravitas quoad culpam et censuram, tamen, in earum absolutione concedenda, est major difficultas propter peculiare jus illius iudicis, qui tulit sententiam, et ne perturbetur ordo judicialis. Et ideo parum probant alia generalia verba de concessionibus casuum reservatorum Pontifici, vel quantumcumque enormium, quia in eis vel est sermo de censuris a jure, vel ad summum per sententiam generalem.

3. Secundo, illa particula *nominatim*, posita in Indulto Gregorii XIII, videtur potius excipere hujusmodi sententias particulares; excommunicatio enim, verbi gratia, tunc fertur particulariter in aliquem, quando fertur nominatim in eum; neque apparet quomodo sententia possit esse particularis ex parte personæ (sic enim loquimur), nisi in illam nominatim feratur. Dico autem ex parte personæ, quia posset ferri sententia excommunicationis pro delicto speciali, verbi gratia, furto, generaliter tamen in eum qui illud commisit, et post trinam admonitionem satisfacere noluit, quia occultus est; tunc enim licet in re ipsa excommunicatio feratur in personam, vel personas particulares, quia particulare factum a particularibus personis necessario extitit, nihilominus ex forma sententiæ generaliter fertur in personas incertas, et de hujusmodi sententia recte probatur ex vi illius privilegii et aliorum, ut dicemus, comprehendi sub hac facultate. Non tamen id probatur de sententia particulari, id est, quæ directe fertur in particularem personam. In quo etiam est considerandum, aliud esse excommunicationem esse latam nominatim in aliquem, aliud vero illum declarari nominatim excommunicatum. Nam potest primum stare sine secundo; declaratio enim non facit censuram, sed supponit, ut alibi dictum est; igitur in illo privilegio non tantum excipitur censura, quam declaratio nominatim facta subsecuta est, sed omnis illa quæ nondum